

ineundam scribere possitis, tanquam propter Deum expensa, quæque Deo ipsi in ratione vestra quasi credita vestra computetis, ut ipse vobis hæc rependat et solvat æterna mercede.

Cosmas
Medici
compertus
suum Deo.

Ita Cosmas Medicus, qui fuit magnorum Græcorum Hetruriae primus, multa expendebat in pauperes, eumque quidam ex familiaribus eum nimis liberalem appellaret, respondit, « se in libro initarum cum Deo rationum dati et accepti nunquam potuisse eo pervenire, ut quæ deberet Deo, solveret: nam quo plura dabat, eo plura recipiebat, semperque inveniebat se debitorem, Deum vero creditorem. » Didicerat hoc ex S. Nazianzeno qui, orat. *De Amore pauperum*, ait: « Nunquam Dei liberalitatem et beneficentiam vineas, quamvis omnium tuarum facultatum jacturam feceris, quamvis te etiam facultatibus adjecceris. Nam hoc quoque ipsum accipere, est Deum aliquid nobis donare. » Addidit Nazianzenus duas insignes similitudines: unam umbræ, quæ nunquam potest corpus progredi, cum simul ea ad progressum corporis progrediatur; alteram capitis, ultra quod cætera membra nunquam possunt exrescere, cum quantumvis illa angeantur, semper caput item attollatur atque superet.

18. HABEO AUTEM OMNIA. — Græce, *ἔχω*, id est recepi ea quæ ad me misistis quasi censum et stipendium debitum prædicationi meæ apud vos. Ita Theophylactus (1).

ET ABUNDO. — Vestra elemosyna plane levavit inopiam meam, ut jam necessariis vite abundem. Ita enim se explicat dum subdit:

REPLETUS SUM, — expletus sum. S. Cyprianus explicans orationem Dominicam legit, *saturus sum, q. d.* Omnis mea penuria, omnis fames, omnis egestas, omne desiderium meum expletum est.

ACCEPTIS (postquam accepi) AD EPAPHRODITUM QUE MISISTIS, ODOREM SUAVITATIS, HOSTIAM ACCEPTAM, FLAGENTEM DEO. — Nota: Elemosynam vocat « hostiam » et sacrificium, non proprium, sed metaphorice, ut patet. *Secundo*, hanc « hostiam » per appositionem vocat « odorem suavitatis; » aludit enim ad vetera sacrificia, quæ ad Deum per ignem et fumum ascendeant, ideoque Deus ea quasi sibi oblata dicebatur odorari, tanquam illa odorem suavem spargerent et allarent naribus Dei. Unde et thura is imponebatur, tum ad suffitum et suavem odorem excitandum, tum ut per thura (quo omnium gentium ritu Deus colitur) significaretur illa Deo offerri et dicari, *q. d.*

Elemosyna est sacrificium odoratum Deo et sacrificium.

(1) Alii « Habeo autem omnia, » id est, sufficit mihi quod accepi, nihil amplius desidero. Hunc sensum requirere videtur proxima.

Elemosyna vestra quasi thura, vel thymifera suavissimi odoris, sive potius quasi hostia et victimæ, quæ cum thure per ignem et fumum ad Deum suavissimo odore ascendit, mihi pergrata et jucunda fuit, nec solum mihi, sed et ipsi Deo. Sic Hebr. xiii, 16, dicitur: « Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus. »

19. DEUS IMPLEAT OMNE DESIDERIUM. — Græca hic variant: alia legunt *ἡγάθη*, id est, gaudium, et sic videri potest legisse Noster, ut metonymice per gaudium intellexerit desiderium; » non enim aliter impletur gaudium nostrum, quam dum impletur desiderium nostrum; alia legunt *ἡγάθη*, id est gratiam; alia et plura *ἡγάθη*, id est necessitatem. Unde Syrus, Vatablus et alii vertunt, *Deus autem meus implet omnem indigentiam vestram secundum opulentiam suam, q. d.* Vos vobis subtraxistis ea quæ mihi misistis, et ex tenuitate ad pauperitatem vestra meam penuriam explestis; ego vicissim Deum rogo, ut suppleat vestram inopiam, imo omne desiderium vestrum. Hoc enim meretur elemosyna, et congruum est, ut, si propter Deum in pauperes liberales simus, Deus vicissim in nos multo liberalior sit, ut dixi II *Corinth.* ix, 6.

SECUNDUM DIVITIAS SUAS, — *q. d.* Facile est Deo vobis rependere, vos ditare, vestra bona explest; est enim ditissimus. Ita Chrysostomus.

IN GLORIA, — id est cum gloria. Ita Vatablus. Vel simpliciter hebraismo, « in gloria, » id est gloriosè, *q. d.* Deus faciat vos gloriosos tum celebritate et gloria æterna apud Deum, tum presentia apud homines, ut illi vestram videntem paupertatem ac munificentiam, et ex altera parte Dei in vos providentiam et liberalitatem, ita ut nihil vobis desit; glorificent ac celebrent tam vestram virtutem, quam Dei Christianorum bonitatem ac magnificentiam.

IN CHRISTO LESIT. — Id est per Christum Jesum. *Secundo*, et sublimius, ex mente Pauli, *q. d.* Secundum divitias gloriæ, quas ostendit in Christo et Christi Ecclesia, quæque decet Christum Dei unigenitum, ejusque discipulos et filios, puta Christianos.

21. SALUTATE OMNEM SANCTUM IN CHRISTO, — id est Christianum, qui baptismo sanctificatus est per Christum, et professione ac vocatione Christiana sanctus est, ut dixi jam superius.

Deo et Patri nostro sit gloria in sæcula sæculorum. O utinam tam beata sors in nos cadat, ut hoc in perpetuum dicamus: « Quid sunt, quam immensa sunt, quam æterna sunt « sæcula sæculorum! » Quid sunt, quam jucunda sunt, quam gloriosa sunt in oculis « sancta sanctorum! »

COMMENTARIUS

IN EPISTOLAM

AD COLOSSENSIS.

ARGUMENTUM

Colosenses non sunt Rhodi.

Nota primo: Putarunt aliqui cum Suida, Zonara, Glyca, Eustathio, Colosenses esse Rhodios, ita dictos a colosso solo, qui erat Rhodi. Sed hos falli certum est; Colosse enim civitas est Phrygiæ, vicina Hierapoli et Laodiceæ, ut docet Plinius, lib. V, cap. xxxv; Herodotus, lib. VII; Strabo, lib. XII, que sub Nerone cum Laodiceæ et Hierapoli terramotum concidit, ut narrat Orosius. Unde et Apostolus hic, cap. iv, vers. 16, jubet ut Colosenses legant epistolam Laodicensium, quasi vicinorum, et contra. Colosse, inquit Theophylactus, civitas est Phrygiæ, que nunc vocatur *Chonæ*, ubi celebris fuit apparitio et memoria S. Michaelis, uti dicam cap. ii, vers. 18 (1).

Colosenses sunt Chonæ, que fuit vicinior Phrygiæ.

Nota secundo: Nec Colossis, nec Laodiceæ prædicaverat Paulus; id enim satis insinuat cap. ii, vers. 1. Sicut ergo scribit ad Romanos cum eos necdum vidisset, ita scribit et ad Colosenses necdum a se visos, ait Chrysostomus et Theophylactus. Colossensium itaque doctor fuit Epaphras, hic enim eos fidem Christi docuit, ut patet cap. i, vers. 7, cap. xv, ubi Romæ cum Paulo in vinculis posito, ut ait cap. iv, vers. 13, successit Archippus, de quo cap. iv, vers. 17, dicit: « Dicitis Archippo: Vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas (2). »

Nota tertio, pro materia et argumento: Hæc

(1) Cap. i, 2, legitur in Græco *Kolassai*, per æ; disputant igitur an hæc lectio sit genuina. Negat D. Glaire, *Introduktion aux livres de l'Anc. et du Nouv. Testam.*, tom. VI, p. 129; Rosenmullerus *estimat*, plurimorum codic. auctoritate iunxit.

(2) Occasionem conscribendi hanc epistolam dedit Paulus, quod periculum esset, ne Colosenses cum vicinis Laodicensibus et Hierapolitanis per falsos doctores abducerentur a veritate Evangelii, quod eo magis erat verendum, quia doctrina Christi in nos ab Apostolo quodam, sed per Epaphras tradita erat. Quales ii fuerint doctores et doctrine, vide Sepp, op. cit. tom. II, p. 367; D. Glaire, *ibid.*, p. 131; Haneberg, *Geschichte der biblischen Offenbarung*, p. 625, qui gnosticos fuisse eos putant. Proximum occasionem scribendi dedisse videtur Epistola Laodicensium ad Apostolum scripta, cap. iv 16. Videtur enim Laodicenses perscriptisse ad Paulum de erroribus falsorum illorum doctorum, eumque consuluisse. Is igitur nunc respondet, mittens quidem epistolam ad Colosenses, sed rogans ut eandem Laodicensibus mitterent,

epistola Paulus insectatur Simonem Magum ejusmodi asselas hereticos, qui uti Ephesi, ita Colossis et alibi sua virulenta dogmata spargebant, ac nominatim docebant, non Christum, sed angelos nostræ salutis esse mediatores et reconciliatores apud Deum, inquit Chrysostomus et Ambrosius, absurdum putantes credere, quod Filius Dei in extremis temporibus apparerit in carne, cum in veteri Testamento Deus per angelos apparere, omniaque sua per eosdem facere et exequi apud homines soleret. Huic dogmati addebant multas observationes Judaicas et gentilitias, dies eorum observantes et tempora et cibos; que omnia cum indigerent correctione, ait Theophylactus, moverunt Apostolum ut hæc scriberet epistolam, qua primo, hunc errorem de angelis, illasque observationes redarguit. Deinde cullibet hominum generi dat vite ac morum documenta; ac demum salutationibus claudit epistolam (3).

Nota quarto: Hæc epistola valde affinis est quoad materiam, epistolæ ad Ephesios: imo eadem pene ad verbum cum illa subinde habet sententias; non quod eodem tempore et impetu sit scripta; nam ad Ephesios anno priore, cum necdum Romam venisset Timotheus, scripta est; hæc vero posterius, ut jam dicam; sed quod eadem materia easdem pene sententias posceret; ac forte quod relegens epistolam suam ad Ephesios datam, Apostolus eam in mente haberet et ex ea

et peterent ab ipsis exemplum epistolæ ad Paulum scriptæ, ut melius intelligerent Pauli responsum.

(3) « Præcipuus Apostoli scopus est, ut eviderent ostendat, in solo Christo ejusque doctrina universam divinam voluntatis cognitionem atque omnia salutis presidia sufficienter nobis exposita esse, ac præinde nihil amplius extra Christum ejusque doctrinam in hoc quidem genere expectandum et epilogum, quæ sunt primæ; a) dissertit Apostolus de beneficiis Dei in hominibus in Christo preparatis, ita quidem ut modo thesini, modo antitheses exponat, et passim gratiarum actiones et præcesiones, item exhortationes ac dehortationes inspergat, cap. i et ii. b) Agit Apostolus de præceptis Christiana vite, tum communibus, que ad omnes Christianos ex regio pertinent, tum propriis quarundam vocationum, præsertim in vita domestica. » Hæc Rosenmullerus.

decurrit non Christianam, sed angelos, esse nostros mediatores.

ARGUMENTAM IN EPISTOLAM AD COLOSSENCES.

hand ad Colossenses dictarit : æquo ergo hæc ut illa, sublimis est et grandiloqua.

Nota *quinto* : Scripta est Romæ vinculis, ut papet cap. IV, vers. 18; anno de vinculorum, qui fuit a Christo nato 60 (1). Nam Timotheus (quem

(1) Vel 57, aut Sepp. ibid. Vide Chronicon *Actis Apostolorum* præfixum.

anno priore ad se Romam vocaverat, ut dixit præmio Epistolæ ad Phillipenses) jam Romam advenerat. Uod et Pautus Timotheum initio epistolæ quasi secum Colossenses salutantem sibi adjungit. Missa est per Tychinum et Onesinum, ut habent Græca, Syra et Latina Complutensia in fine Epist., et colligitur cap. IV, vers. 17 et 19.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, gratulatur Colossensibus de eorum fide, charitate et vita Christiana, oratque ut in ea crescant et roborentur, utque in patientia, lætitia et gratiarum actione serviant Deo, qui eos transtulit in regnum (puta Ecclesiam) Filii sui.

Hinc secundo, vers. 14, docet non angelos, sed Christum Dei Filium, esse tam opifrem et creatorem rerum omnium, etiam angelorum, quam redemptorem hominum, caputque Ecclesiæ, utpote qui cœnia quæ in cœlis sunt, pacificavit.

Deinde, vers. 21, docet hanc Christi redemptionem ad Gentes quoque pertinere, sequæ hujus mysteria et Evangelii legatum et ministrum esse, atque pro Christo Christianique Ecclesiæ multa se pati gloriatur.

1. Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater, 2. eis, qui sunt Colossis, sanctis et fidelibus fratribus in Christo Jesu. 3. Gratias agimus Deo, et Patri Domini nostri Jesu Christi, semper pro vobis orantes : 4. audientes fidem vestram in Christo Jesu, et dilectionem, quam habetis in sanctos omnes, 5. propter spem, quæ reposita est vobis in cœlis : quam audistis in verbo veritatis Evangelii : 6. quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit, sicut in vobis, ex ea die, qua audistis et cognovistis gratiam Dei in veritate. 7. Sicut didicistis ab Epaphra, charissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu, 8. qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu. 9. Ideo et nos ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes et postulantes ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia et intellectu spiritali : 10. ut ambuletis digne Deo per omnia placentes : in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei : 11. in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus, in omni patientia et longanimitate cum gaudio, 12. gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine : 13. qui eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ : 14. in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. 15. Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ. 16. quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis, et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates : omnia per ipsum et in ipso creata sunt : 17. et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. 18. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis : ut sit in omnibus ipse primatum tenens. 19. Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare : 20. et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. 21. Et vos cum essetis aliquando alienati, et inimici sensu in operibus malis : 22. nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos, et immaculatos, et irreprehensibiles coram ipso : 23. si tamen permanetis in fide fundati, et stabiles, et immobiles a spe Evangelii, quod audistis, quod prædicatum est in universa creatura, quæ sub cœlo est, ejus factus sum ego Paulus minister. 24. Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesiæ : 25. ejus factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, quæ data est mihi in vos, ut impleam verbum Dei : 26. mysterium, quod absconditum fuit a sæculis

et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus, 27. quibus voluit Deus notas facere divitias gloriae sacramenti hujus in Gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriae, 28. quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, et docentes omnem hominem, in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu. 29. In quo et laboro, certando secundum operationem ejus, quam operatur in me in virtute.

4. PAULUS APOSTOLUS JESU CHRISTI, — non angelorum, inquit ex Chrysostomo Theophylactus. Ipso exordio haeresim Simonis elidit, dicens Apostolos non ab angelis, sed a Christo esse missos, ut per Christum, non per angelos homines Deo reconciliant, idque non ex se, sed per voluntatem Dei.

Ubi nota: Passim Apostolus se a Deo et Christo missum significat, ut Simonem Magum aliosque falsos Doctores, qui non mittuntur a Deo, sed sua sponte docendi munus assumunt, perstringat et excludat.

Vers. 4.

Christianismus non est aliud nisi professio sanctitatis.

2. SANCTIS ET FIDELIBUS FRATRIBUS IN CHRISTO. — Nota hic tria epitheta et quasi insignia Christianorum. Nam primo, vocantur sancti. Nec enim sanctitatem tam doctrinae quam vite alicubi in mundo est reperire, quam apud Christianos. Et rursus christianismus non est aliud quam professio sanctitatis. Ad hoc enim venit Christus et christianismus insituit, ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate et justitia omnibus diebus vite nostrae, ut canit Zacharias. Hoc nomen sancti monet Christianos ut assidue studeant sanctitati et perfectioni.

Secundo, vocantur fideles, quasi filii Abrahae, qui pater est fidelium et credentium, ac proinde benedictionis Abrahae promissae, id est amicitiae Dei, justitiae et salutis haereditas.

Tertio, vocantur fratres, non in Adamo, aut aliquo terreno parente, sed in Christo, qui nos genuit per suam mortem et baptismum; ut significet Christianos omnes, sepositis omnibus odiis, dissidiis et varietate tam nationum quam complexionum et officiorum, invicem amare debere quasi fratres.

GRATIA VOBIS ET PAX A DEO. — Supple, donetur et multiplicetur.

3. GRATIAS AGIMUS DEO, ET PATRI DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. — «Et» significat, id est, q. d. Gratias agimus Deo, qui est Pater Domini nostri Jesu Christi: ut significet Deum non aliter nobis esse causam salutis, quam hoc ipso, quo est Pater Christi, per quem redempti et adoptati sumus; et hoc nomine maxime a nobis amandum, venerandum et invocandum esse Deum, quod nobis dederit Christum redemptorem.

SEMPER PRO VOBIS ORANTES. — Te pro vobis potest referri ad «gratias agimus.» Unde Erasmus vertit, gratias agimus pro vobis cum oramus. Secundo et melius, Graeci referunt ad «orantes.» Unde

et Syrus vertit, gratias agimus Deo, et oramus pro vobis. Duplici ergo titulo amorem suum in Colossenses ostendit hic Paulus: priore, quod pro eis gratias agat Deo; secundo, quod pro eis semper oret; quodque eos quos non viderat, semper in mente et memoria habeat, ait Chrysostomus. Nota «semper,» id est frequenter et assidue orantes. Vide dicta Ephes. vi, 18.

4. AUDIENTES (inimicitiae, id est postquam audivimus narrante Epaphra, inquit Chrysostomus) FIDEM VESTRAM, QUAE EST (non in angelis, sed) IN CHRISTO JESU (q. d. Fidem vestram qua creditis Christo), ET DILECTIONEM QUAM HABETIS IN SANCTOS (Christianos) OMNES, — tam incolas quam peregrinos et advenas aliarum gentium. Significat Christianos debere alios omnes diligere pari affectu, sive suae sint gentis, sive alterius, hoc nomine quod Christiani sunt. In Christo enim Jesu non est Barbasus et Seytha, Judaeus et Graecus, Hispanus et Gallus; sed omnes unum sunt, Galat. iii, 28.

3. PROPTER SPEM (id est bona sperata, est metonymia, juxta Can. 30) QUAE REPOSITA EST VOBIS IN CORDIS: QUAM AUDISTIS IN VERBO (per verbum) VERITATIS EVANGELII (i), — q. d. Quam audistis per praedicationem Evangelii: quae praedictio est verbum et sermo veritatis, id est verissimus, ut in eo ne vel unum punctum erroris aut falsitatis sit reperire. Unde posset esse appositio in a verbo veritatis Evangelii, q. d. In verbo veritatis quae est ipsum Evangelium, ut ipsam veritatem vocet Evangelium.

Notat Simonianos, Judaeos, Philosophos, omnesque Gentilium sectas et scholas: quae omnes multas docent haereses et errores: ut nusquam puram invenire sit veritatem, nisi in Christi schola et Evangelio.

6. SICUT ET IN UNIVERSO MUNDO EST. — Id est in praecipuis totius mundi partibus et provincialibus est hoc verbum, sive praedictio Evangelii.

COGNOVISTIS GRATIAM DEI IN VERITATE. — Vatablus, per veritatem. Secundo et melius in veritate, id est, vere vel verissime cognovistis gratiam redemptionis, justitiae et salutis, quam nobis Deus exhibuit per Christum. Sic enim Hebraei adverbialiter praepositionem in cum nomine ablativi casus, ut, «sentite de Domino in bonitate,»

(1) Haec commodius connectentur sequ. verbis, Gratias ago Deo, vers. 3. Multi tamen cum immediate praecedentibus jungunt.

Sap. 1, 1, id est bene, recte et vere sentite de Deo ejusque providentia, justitia, clementia, caeterisque attributis; non male et impie cum Epicureis et Atheis. Sic Hebraei dicunt בְּטוֹב beemet, id est in veritate, id est vere.

7. SICUT DIDICISTIS AB EPAPHRA, CONSERVO NOSTRO (vocat Epaphram conservum suum, quia secum serviebat Christo in praedicando et propagando Evangelio. Unde explicans subdit), QUI EST FIDELIS PRO VOBIS MINISTER CHRISTI. — Sic enim Apostolus, initio Epistolae ad Philippenses et ad Titum, se et Timotheum vocat servos Jesu Christi. Secundo, Epaphras missus videtur a Colossensibus ad Paulum, ut ei in vinculis serviret. Hinc vocat eum servum Ecclesiae Colossensium: sum vero non servum, sed «conservum,» modestiae et humilitatis studio, quia uterque serviebat Christo et Ecclesiae.

QUI EST FIDELIS PRO VOBIS MINISTER CHRISTI JESU, — q. d. Epaphras minister est Christi pro vobis, scilicet docendis, ut nimirum vos in Christi fide, doctrina ac moribus promoveat. Secundo, pro vobis Colossensibus, inquit Theophylactus, Epaphras in rebus ad Christum pertinentibus ministravit, cum videlicet ad Paulum abiit eumque consolatus est in vinculis, cumque indicavit ei res Colossensium eique in carcere servivit.

Vers. 7.

Dilectio in spiritu tua significat.

8. QUI ETIAM MANIFESTAVIT NOBIS DILECTIONEM VESTRAM (quam habetis erga me et omnes Christianos, ut dixit vers. 4) IN SPIRITU, — id est spiritalem, quae sola vera, firma ac solida est dilectio, ut fuse ostendit hic Chrysostomus.

Secundo, «dilectionem in spiritu,» id est a Spiritu Sancto, qui in vobis est, non autem a carne manantem. Ita Anselmus. Ut sit enallage Hebraea, qua det, id est in, saepe ponitur pro in min, id est a, ex, de. Unde Vatablus sic explicat, dilectionem in spiritu, id est ad quam nos non caro, sed spiritus Dei incitat.

Tertio, «in spiritu,» id est ex intimis animi penetralibus, ipsoque intimo mentis spiritu profectam.

9. IDEO ET NOS EX QUAE DIE AUDIVIMUS (vestram fidem et dilectionem, ut dixit vers. praeced. et vers. 4), NON CESSAMUS PRO VOBIS ORANTES ET POSTULANTES (id est orare et postulare, est grecismus) ET IMPLEAMINI AGNITIONE VOLUNTATIS EJUS, — qua Deus voluit et decevit nos sibi reconciliare, justificare et salvare per Christum, non per angelos. «Neque omnino imperfectos (ait ex Chrysostomo Theophylactus), neque omnino perfectos per haec significat. Non enim dixit: Ut accipiatis, verum, Ut impleamini. Habetis enim, sed nondum totum. Et quod reconciliati sitis, agnovistis quidem: quod vero per Filium Dei, hoc deest vobis, nec satis nostis; quare oro hoc impleri in vobis. Voluntas enim et Dei beneplacitum est, quod Filium suum pro nobis dederit, non angelos. Agnitionem igitur, cognitionis additionem intellige.

IN OMNI SAPIENTIA ET INTELLECTU SPIRITUALI. —

Deceperunt, inquit Chrysostomus, vos philosophi et Simoniani sua sapientia humana et carnali; ego huic oppono et opto vobis sapientiam et prudentiam spiritalem.

10. UT AMBULETIS DIGNAE DEO PER OMNIA PLACENTES. — Graece et πάντων ἀγαπᾶν, q. d. In omnem placentiam, et, ut Ambrosius, ad omne placitum. Unde patet ad Deo, vel, at graece est, Domino, tam pertinere ad non ambuletis dignae, quam ad non per omnia placentes. In Graeco enim est una sententia (non duae), in qua verba posteriora determinant priora: παρακαταίτων ἡμᾶς ἀλλήλους τοῦ Κυρίου εἰς πάντων ἀγαπᾶν, id est, ut ambuletis digne Deo in omnem placentiam. Significat enim Paulus, digne Deo ambulare, non esse aliud quam Deo per omnia placere: ita ut illi ambulent digne Deo, qui quasi fideles et morigeri servi Dei, quasi summi sui Domini placitum et voluntatem in omnibus explent. Quomodo vero Dei placitum et voluntatem explent, ac consequenter, quomodo digne Deo ambulemus, explicat Apostolus dum subdit: «In omni opere bono fructificantes, et caetera quae subjicit, quaeque sibi placita a nobis exigit Deus.

Digne Deo ambulare est Deo in omnia placere.

Vers. 11.

11. IN OMNI VIRTUTE CONFORTATI. — Pro «virtute,» graece est δύναμις, id est potentia, robore, fortitudine. Unde Vatablus vertit, omni robore corroborati.

SECUNDO POTENTIAM CLARITATIS (graece δόξα, id est gloriae) EJUS, — id est secum tum potentiam claram et gloriosam Dei, qua vos, o Colossenses, communiri est opus, cum insurgente haereses et persecutiones.

Nota: Pro «potentiam,» graece est κρᾶτος, quod non tantum potentiam roboris, sed et imperii, sive potens, validum et praedominans imperium significat. Secundo, potentia gloriae significat potentiam maximam et robustissimam, quae apud omnes celebris est et gloriosa, q. d. Ubique Dei gloria dominatur, ubique Dei potentia imperat. Nihil ergo formidate, roboravit vos ac potentes faciet Dominus ille potentissimus omnibus imperans, cui servitis. Ita Theophylactus.

IN OMNI PATIENTIA ET LONGANIMITATE, CUM Gaudio, GRATIAS AGENTES DEO PATRI. — Hic declarat virtutem et robur, qua eos jam optavit per Dei potentiam corroborari, sitam esse in patientia et longanimitate: ut in omnibus adversis patientes sint, gaudeant gratiasque agant Deo. Id clarius significant Graeca, et πάντων ὑπομονῆς καὶ μακροθυμίας. Unde clare hinc locum ita vertit Vatablus, omni robore corroborati juxta potentiam gloriam illius ad omnem tolerantiam ac patientiam, cum gaudio gratias agentes Patri. Hinc patet veram fortitudinem et robur Christianorum praecipue situm esse in patientia, in eaque maxime se ostendere Dei divinae gratiae potentiam. Longe enim difficilior est durare et fortia pati, quam fortia agere. Unde Proe. xvi, 32, dicitur: «Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore»

urbium. » Idque patet in Martyribus, in quorum patientia omnium confessione summa fuit fortitudo. Hinc S. Ambrosius, lib. I *Offic.*, cap. XII, et Chrysostomus, hom. 85 in *Matth.*, multis ostendunt fortitudinem magis in tolerando quam in vincendo consistere. « Fortia agere Romanum est, » aiebat Saevalia; sed « fortia pati Christiana sunt. »

Notat ex Chrysostomo Theophylactus, patientiam respicere tyrannos et hostes Ecclesiae, longanimitatem fratres sive Christianos. « Est enim, inquit, aliquis longanimis erga eos quos ulcisci possit: patitur autem et sustinet eos, quos non potest ulcisci, propterea et de Domino non dicitur *traxerunt* seu patientia, sed longanimitas, ut qui possit quidem quos velit excindere, tolerat tamen. »

12. CUM GAUDIO GRATIAS AGENTES DEO PATRI. — Haec est perfectio, hic apex patientiae et longanimitatis, si non tantum patienter, sed et cum gaudio feras quaevis dura et adversa; imo gratias agas Deo. Materiam vero et causam qua se quisque Christianus ad gaudium et gratiarum actionem excitat, subjicit dicens:

QUI DIGNOS NOS FECIT IN PARTEM SORTIS SANCTORUM IN LUMINE. — « Qui, » scilicet Deus, nos sine nostro merito, imo indignos et male de se meritis, sola sua gratia, praestitit quos neglecti, quasi fortitudo refulsi, in partem, » id est participationem, « sortis, » id est hereditatis, « sanctorum, » quae sita est « in lumine » Evangelii, quod Christus nobis et celo attulit.

Nota: *Sors* significat statum et conditionem, quae cuique sorte vel fortuito obtingit; sic vulgo dicitur: Haec est sors mea, haec conditio, haec fortuna mea. Sic ait Psaltes, *Psal.* xxx, 16: « In manibus tuis sortes meae, » q. d. Casus, eventus, vicissitudo et status rerum mearum, ut divitiae et paupertas, servitus et principatus, pax et bellum, ait Theodoretus, quae mihi vicissim et fortuito accidunt, non a fortuna, sed certa tua providentia et gubernatione, o Domine, reguntur, mihi quae obveniunt. Unde hebraice est, in manibus tuis: *תחת ידך* *ittotai*, id est tempora mea, et est vicissitudo temporum, puta tempora et dies jam prosperitatis, mox adversitatis, jam vitae, jam mortis, in Dei sum potestate et providentia. Sic *Sapientia*, II, 9, dicitur impij: « Haec est sors nostra, » et contra de pijs, cap. v, 8, dicitur: « Inter sanctos sors illorum est. » Ita hic accipi potest sors, q. d. « Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum, » id est, qui nos dignatus est sorte, conditione et statu sanctorum, ut in album sanctorum nos referret.

Secundo et significantius, *sors* idem est quod hereditas. Olim enim, uti et jam saepe, haereditas inter heredes sorte dividebatur. Inde *sors* dicitur portio hereditaria, quae cuique sorte obtingit. Sic dicitur *Psal.* lxxvii, 34: « Sorte divisit eis terram in funiculo distributionis, » id est per funiculum quo terram dimetiabatur et cuique

Sors duo significat, Primum, casum; Secundo, hereditatem.

Quomodo sortes nostrae sunt in manu Dei?

tribui suam partem distribuebat. Sic *Michae* II, 5, dicitur: « Mittens funiculum sortis. » Nullo magis hereditas sanctorum vocatur *sors*, quia nulli hominum ad eam jus habebant, cum tamen inter homines qui heredes sunt, jus habeant ad hereditatem, cujus sunt heredes. Unde *Ephes.* cap. I, vers. 41, dixit Apostolus nos sorte vocatos ad fidem et gratiam Christi. Hereditas ergo haec sanctorum dicitur *sors*, quia hominibus sine merito, gratis et quasi sortitio obtingit. « Non video (ait S. Augustinus in illud *Psal.* xxx: *In manibus tuis sortes meae*) ullum meritum, quo de universa impietate generis humani me potissimum elegisti ad salutem: ad tunicam Domini sorte perveni. » Sicut ergo gratis Deus Pater per Christum nos sibi adoptavit in filios, ita et in heredes suos, coheredes autem Christi.

Nota secundo: Haec sors et hereditas Sanctorum sita est, ut sequitur, « in lumine. » Licet enim aliqui per « in lumine » putent significari modum et rationem qua ad hanc hereditatem venimus, scilicet per lumen fidei; tamen planius et magis genuine « in lumine » significat situm et conditionem hujus hereditatis, scilicet eam positam esse in lumine Evangelii, quod Christus nobis et celo attulit.

Hanc enim sortem luminis Evangelii opponit sorti et potestati tenebrarum, e qua nos eripuit Christus, ut ait vers. seq. Et hoc lumen Evangelii maximum est Dei donum et bonum. Unde paulo superius, vers. 9, dixit: « Non cessamus pro vobis orantes et postulantes, ut implemini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia et intellectu spiritali. » Et vers. 10: « Et ambulatis digne Deo, etc., crescentes in scientia Dei. » Hinc et S. Joannes, cap. I, hanc lucem inculcat, eaque quasi maxime insigni emblemata Christum exornat: « In ipso, ait, vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet. » Et: « Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. » Quod ergo hic Paulus dicit: Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, idem est cum eo quod ait Petrus, I *epist.* II, 9: « Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. »

Per « lumen » ergo accipit cognitionem Dei, Christi, justitiae, gratiae, virtutum et salutis, quam accepimus per Christi Evangelium et fidem: quae cognitio quasi radix et mater gratiam, justitiam omniaque caetera dona et bona spiritalia, quae Christus attulit, quaeque in Christi Ecclesia participamus, complectitur.

Nota tertio: Hoc lumen et hanc cognitionem inchoate accipimus in hac vita, sed perfectionem ejus accipiemus in beatitudine caelesti, cujus conscripti sumus haereditas, illamque hereditatem coelestem in hac vita per spem et gratiam quasi per quemdam praegustum delibamus et inchoamus. Sensus ergo hujus loci completus hic est: Deus fecit nos dignos, per baptismum et Christianismum, ut jam hic viventes in Ecclesia habea-

Cur haec verba ad nos referantur? Quia nos sortem sortis.

Sors non est in lumine, sed in lumine, scilicet Evangelio.

Lumen habemus applicari, ut in manu Dei, secundum mundum.

mus partem et participationem sortis et hereditatis Sanctorum, quae radicaliter sita est in lumine fidei et cognitionis Dei, utque per fidem et gratiam hic inchoamus et participemus sortem et hereditatem Sanctorum, id est Beatorum, quae sita est in lumine, id est visione Dei et gloria caelesti, quam reipsa participabamus post hanc vitam, cum reipsa in sortem et album Sanctorum ac Beatorum referemur. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus. Denique S. Dionysius per « lumen » accipit baptismum, q. d. In lumine, id est in baptismo: hic enim Graece vocatur *φως*; et *εσπερας*, id est lux et illuminatio: quia eo baptizati per fidem illuminantur. Ita ipse *De Eccles. Hierarch.*, cap. *De Baptismo*.

13. QUI ERIPUIT NOS DE POTESTATE TENEBRARUM, ET TRANSULIT IN REGNUM FILII DILECTIONIS SUAE. — Nota: « Tenebras » vocat tum ignorantiam, infidelitatem aliaque peccata; tum infernum, qui inde consequitur; tum diabolum, qui his omnibus praesidet. Ita Chrysostomus et Theophylactus. Opponit enim regnum Christi quasi regnum lucis, regno et potestati tenebrarum, id est diaboli. Sic enim diabolus vocatur « princeps tenebrarum, » *Ephes.* VI, 12; *Luc.* XXII, 53, q. d. In gentilismo dominabantur vobis tenebrae, scilicet ignorantia, idololatria omniaque scelerata, et ipsae princeps tenebrarum diabolus. Sed Deus ab hoc domino et tyrannide tenebrarum vos eripuit, et transulit in regnum Christi lucidissimum, ut jam non regnet in vobis demon peccatum, aut tenebrae; sed Christus nuncius Dei Filius, qui est vera lux mundi, quique per Evangelium suum latissimum lucis regnum mundo innoxit, facitque nos regni sui socios, imo reges.

Unde moraliter S. Chrysostomus: « Quid dicis, inquit, homo? Ad regnum vocatus, ad regnum Filii Dei, et oscitabundus es totus, ac desiderium more scalpis ac torpes? Si namque singulis diebus vel in mille mortes insiliendum fuisset, an non omnia ferre oportebat? Atqui principatus gratia nihil non faceres; cum vero corsors futurus sis regni Unigeniti Dei, non objices te vel mille gladiis? non insilies in ignem? At tu loques etiam quod abiturus hinc es, et presentibus libenter immoraris plus aequo corporis curam agens. Quidnam hoc est? et mortem etiam horrendum quid esse putas. Horum vere causa sunt deliciae et vitae remissio. Alioqui qui vitam vivit acerbam, avolare quoque vellet et ab hac vita liberari. » Deinde apposita similitudine pulcherrime declarat dicens: « Nunc vero idem patimur quod evenit et avium pullis pigrescentibus, semperque in nido manere cupientibus. Illi quando diutius haeserint, tanto redduntur imbecilliores. Nidus enim quidam est praesens haec vita ex festucis et luto compactus. Et si magnificas mihi ostenderit aedes, etiam ipsas regias auro multo et lapidibus pretiosis splendidas; nihil tamen illas ab hirundinum nidis differre pulabo.

ingruente namque hieme cadent omnia sponte sua. »

FILI DILECTIONIS SUAE. — Non quasi Filius per voluntatem, amorem et dilectionem aequae alique per intellectam et intellectionem procedat a Patre, sicut item cum Spiritu Sancto, ut voluit Sabellius: sed hobraismo « Fili dilectionis, » id est *Fili sui dilecti*: ita Syrus. Chrysostomus, Theophylactus; id est veri, proprii et unici Filii sui, uniceque dilecti, ait Theodoretus. Sic *Pro verb.* v, 49, loquens Sapiens de uxore, quam quis in adolescentia duxit: « Sit tibi chara, inquit, quasi » *אשת אהבתך ויקרה לך אשת אהבתך* *ahabim veikalat chen*, id est cervam amorem et hinnulus gratiae. Quod Notare clare veritas, « cervam charissimam, et gratissimum, vel gratiosissimum hinnulum. » Nota: Haec isdem *pace* verbis dicit ad *Ephes.* I, 6, ubi ait: « In qua gratificavit (pro quo hic habet *transulit in regnum*, ut scilicet Christus regnet in nobis per gratiam) nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. »

14. REDEMPTIONEM ET REMISSIONEM PECCATORUM. — « Et » significat *id est*: redemptionem enim nostra a servitute peccati re ipsa non est aliud quam remissio peccatorum, ut dixi ad *Ephes.* I, 7.

15. QUI (FILIIUS) EST IMAGO DEI (PATRI) INVISIBILIS. — Nam Filius est Verbum Patris, Patri omnino simile et aequale, adeoque ejusdem plane cum Patre essentiae. Vide dicta de imagine, II *Cor.* IV, 4.

PRIMOGENITUS OMNIS CREATURE. — Ergo, inquit Arianj, Christus est creatura, omnisque creatura Christi soror est. Primo genitus enim inter fratres et sorores dicitur, qui ante omnes fratres et sorores genitus est; sive qui primus est frater. Sed respondent Theodoretus et Ambrosius, non dici hic Christum *aportitorem*, id est primo creatum, sed *aportitorem*, id est *primogenitum*: generatio ergo Filio convenit, creatio vero creaturis: quantum ergo generatio divina excellit creationem, tantum Filius excellit creaturas. Secundo, Christus vers. seq. dicitur opifex omnis creature; ergo non est creaturarius frater. Primo ergo S. Anselmus, Commentarius Hieronymo ascriptus, et Concilium Sardicense accipiunt haec verba de Christo ut homo est: nimirum quod Christus ut homo est, omnis creatura sit primogenitus, non tempore, sed honore; quia Christus ut homo, finis est quem Deus primo intendit et propter quem omnia creavit. Haec explicatio probatur *primo*, quia Christus ut Deus, non est primogenitus, sed unigenitus: ergo primogenitus esse nequit, nisi qua homo est. Secundo, quia Christus ut homo, caput est Ecclesiae atque Paulus agit hic de Christo, prout caput est Ecclesiae, ut patet vers. 18: ergo Christum vocat *primogenitum* non qua Deus, sed qua homo est.

Verum haec melius et magis genuine accipies de Christo ut Deus est. Hoc enim versu Christi et

Filius dilectionis est Filius dilectus.

Ver. 14. — Et significat id est: redemptionem enim nostra a servitute peccati re ipsa non est aliud quam remissio peccatorum, ut dixi ad Ephes. I, 7.

Ver. 15. — Nam Filius est Verbum Patris, Patri omnino simile et aequale, adeoque ejusdem plane cum Patre essentiae. Vide dicta de imagine, II Cor. IV, 4.

Objectio Arianorum solvitur.

Christus est primogenitus omnia creatura Primo, quia homo est.

Secundo et potius.

dignitatem ex ejus divinitate describit. Unde ait: « Ipse est ante nos, et in ipso, » id est per ipsum, « omnia (ergo etiam angeli) constant, » id est existant et conservantur, sicut ab eodem creata sunt. Primogenitus ergo hic, sicut et *Matth.* 1, 23, idem est quod unigenitus. Dicitur vero Christus primogenitus, quia primo, puta ante omnem creaturam, est genitus. Vult ergo dicere Paulus, Christi generationem priorem esse omni creaturam creatione, nec Christum angelis esse juniorem, ut docebat Simoniani, *q. d.* Christus uti tempore, ita et dignitate, causalitate remque omnium productione excellit omnes entias, potestates, *Beatorum*, aones, angelos Simonianorum, Valentinii et aliorum Novatorum; ac sequenter non angeli, sed Christus unus est redemptor ac mediator noster. Ita Theophylactus, Ambrosius, Theodorius. Et patet ex sequentibus; subdit enim: « Quoniam in ipso condita sunt universa in caelis et in terra. » Vide Epiphanium, in heresi Basilidis, Simonis et Menandri.

Ennes et aones Valentinii perstrinxerunt quoniam Quia Pat. lo.

Vers. 16.

16. IN IPso CONDITA SUNT UNIVERSA. — In ipso, id est per ipsum. Unde per repetitionem idipsum explicans et confirmans subdit: « Omnia per ipsum, et in ipso creata sunt. »

Angeli non creati sunt a deo, sed Christus.

VISIBILIA ET INVISIBILIA. — Docebat Platonici, et ex eis Simon Magus, Menander, Saturninus et alii Simonis assecte, Deum creasse homines et mundum. Contra hoc docet Apostolus tam invisibilia quam visibilia, id est tam angelos quam homines, a Filio esse creatos.

Angeli vocantur dominantes, principes, potestates, id est potentes. Omnia autem creata in Christo tripliciter.

DOMINATIONES. — Id est dominantes. PRINCIPATUS. — Id est principes, vel principatum gerentes.

POTESTATES. — Id est potentes et potestate praediti. Abstracta ponuntur pro concretis. Sunt enim haec nomina angelorum. Vide dicta *Ephes.* 1, 21.

OMNIA PER IPSUM, ET IN IPso CREATA SUNT. — Pro « in ipso, » graece est *ἐν αὐτῷ*, id est in ipso, puta ad ipsius gloriam, creata sunt omnia. Ita Vatablus. Verum saepe *ἐν* capitur pro *in*, id est in ipsum, pro in ipso, et ita accipiuntur hic Graeci.

Unde secundo, Anselmus, « per ipsum, » inquit, quasi causam efficientem cum Patre creata sunt omnia. Filio enim, quia a Patre procedit, tribuitur operatio quasi mediana, quam significat praepositio *per*. « In ipso, » scilicet quasi in Verbo, idea et sapientia, creata sunt omnia. Sed hoc sensu melius diceretur, per ipsum, scilicet tanquam Verbum et Sapientiam, creata esse omnia. Unde tertio et optime, *in ipso* significat immensitatem Filii, scilicet Filium esse ubique per essentiam, praesentiam et potentiam, adeo ut extra se nihil creare vel agere possit, sed omnia quae creat et agit, in seipso creet et agat. Haec enim est perfectio immensitatis divinae, ut cum sit ubique, omnia occupet et repleat, nihil foris vel eminus, sed omnia intra se et intra ambitum essentiae suae agat et faciat. Deus ergo intime rebus omnibus a se creatis est praesens; resque

omnes create ab hac infima Dei praesentia impendunt, conservantur et gubernantur, sicut corpus et vita corporis pendet a praesentia anima. Unde Plato dixit Deum esse animam mundi. Et Sapiens, *Sap.* 1, 7: « Spiritus, inquit, Domini replevit orbem terrarum, et hoc (hic scilicet Spiritus, ut legit Augustinus; nam *hoc* respicit Graecum *πνεῦμα*, quod est neutrum) quod continet omnia, scientiam habet vocis, » *q. d.* Caveta a murmure et detractioe, quia Spiritus Sanctus, qui omnia continet, id est per suam essentiam, praesentiam, potentiam ambit, tenet et conservat omnes creaturas, omnia audit. Omnes enim voces tum oris, tum mentis fiunt intra ambitum complexumque Spiritus Sancti, non foris. Quare illum nihil latere potest, ne vel tenuissimum murmur, sed omnium vocum et sermonum scientiam et cognitionem habet. Hinc omnia dicuntur esse et consistere in Spiritu Sancto, sicut omnia dicuntur esse et consistere in Patre et Filio. Et hoc est quod cecinit Poeta:

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus Mens agitatur molem, et magno se corpore miscet.

Sicut enim anima est in corpore, ita vicissim corpus est in anima, et longe magis. Non enim anima a corpore, sed corpus ab anima infunditur, consistit, conservatur et vivificatur. Par modo et Deus est in mundo, et vicissim multo magis mundus ipse est in Deo, quia a Deo Dei praesentia infunditur, et in suo esse conservatur ac consistit. Sic ergo in Filio, id est intra ambitum et complexum Filii, intra sphaeram essentiae et praesentiae Filii, creata sunt omnia, ideoque, ut sequitur, in eo omnia constant, id est conservantur et consistunt: adeo ut, si Filius et Deus suam essentiam et praesentiam ab universo subduceret, totum universum evanesceret, sicut radii evanescent, cum sol se subducit; et vita corporis evanescent, cum a corpore anima se subducit. Ita Chrysostomus et Theophylactus.

Id ipsum declarat S. Augustinus, lib. VII *Confess.*, cap. v, pulchra similitudine, qua Deum comparat mari; utpote qui totum mundum in se aequo ut mare spongiam continet: « Intueor, inquit, te, Domine, omni ex parte mundi hanc massam ambientem et penetrantem, sed usquequaque infinitum: tanquam si mare esset ubique et undique per immensa spatia infinitum solum mare, et haberet intra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam tamen, plena esset undique spongia illa ex omni sua parte ex immenso mari: sic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam. » Pari modo ab aliis Deus dictus est adamas quidam maximus et pulcherrimus, totum mundum in se continens et complectens.

Nota; Ne, cum dixit « per ipsum, » quipiam cum Ario intelligeret per Christum quasi minis-

Plato et alii esse animam mundi.

Quomodo mundum sit in ipso.

Sicut aqua in spongia, sic mundus in Deo.

Deus est adamas mundi.

trum omnia esse creata, addidit Apostolus, « in ipso; » ut significet Filium consortem imperii, immensitatis, potentiae et essentiae paternae.

17. ET IPSE EST ANTE OMNES — Thronos, Dominationes, Potestates, etc. Posset secundo, graecum *ἐνὶ αὐτῷ* verti, ipse est ante omnia. Respicit enim *τὰ αἰῶνα*, id est omnia, quae vers. praeced. dixit in Christo esse creata et condita: sed maxime intendit Apostolus opponere et anteponeere Christum angelis, quos Christo praeponebant Simoniani.

18. ET IPSE EST CAPUT CORPORIS ECCLESIAE. — Hactenus agit de Christo ut Deo, ejusque divinitatem ostendit: jam agit de Christo ut homo est, et Christi hominis dignitatem ostendit. Christus enim qua homo est, non qua Deus, est proprie caput Ecclesiae. Vide dicta *Ephes.* 1, 22.

QUI EST PRINCIPUM. — Primo, Christus, qua Deus, omnium rerum est principium, ait Anselmus. Sed hoc versu non agit Apostolus de Christo qua Deus, sed qua homo est caput Ecclesiae, ut dixi.

Secundo ergo, melius Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Ambrosius et Vatablus: Christus est « principium, » id est fons, dux et auctor resurrectionis et resurgentium ex mortuis; ut *in principium* aequae ac *in primogenitus* pertinet ad *ex mortuis*. Imo Vatablus et Erasmus sic vertunt, *qui est principium primogenitorum ex mortuis, q. d.* Primum principium, fons et auctor resurrectionis ex mortuis est Christus.

Christus est principium Ecclesiae.

Primo, sicut secundo, dignitate: Tertio, tempore et causalitate.

Tertio et optime, Christus, qua homo est caputque Ecclesiae, est « principium: » primo, sicut; quia super omnes caelos elevatus quasi primus et summus consistit; secundo, dignitate. Unde Cyrillus: « Principium, » inquit, id est princeps et praecipuus. Graecum enim *ἀρχή* tam principium quam principium significat, et sic « principium » pro principatu capitur *Psal.* cix, 3: « Teum (o Christe) principium (hebraice *נְדָבֹת* *nedabot*, id est principatus) in die virtutis tuae. » Tertio, Christus est « principium » tempore et causalitate. Ipse enim sibi corpus, id est Ecclesiam, *fecit* et formavit, in eaque et in nobis, qui Ecclesiam membra sumus, omnium virtutum et honorum operum principium est et causa. Ita Anselmus.

Quomodo Christus se vocat principium Joann. viii.

Queres an eodem sensu Christus se vocet principium, « Joann. viii, 23, cum interrogantibus eum Judaeis: « Tu quis es? » respondit: « Principium qui (vel, ut legunt nonnulli cum Graecis quod) et loquor vobis. » Respondet S. Augustinus, in citatum locum Joannis, Beda, Rupertus et Ambrosius, lib. III *De Fide*, cap. iv, Christum se vocare principium, *q. d.* Ego sum primus et novissimus; vel sum principium omnium rerum, per quod facta sunt omnia. Verum sic « principium » esset nominativi casus, et Graece legendum esset *ἀρχή*. Jam autem constat « principium » apud Joannem esse accusativi

casus: ita enim habent constantem Graeca et Graeci, scilicet, *ὁ ἀρχή*, quomodo Septuaginta veritate solent Hebraei כְּרִשְׁתִּי *bereset*, id est, in principio; intelligitur enim praepositio *καὶ*, quasi dicat: secundum principium, a principio. Secundo ergo, verius et planius, principium apud S. Joannem idem est quod a principio, et subauditur verbum, *sum, q. d.* Ego sum a principio, sum ab aeterno ante Abraham, ut ait ibidem vers. 38, sum aeternus, Deus verus de Deo vero, « qui et loquor vobis, » *q. d.* Qui etiam hoc ipsum vobis annuntio. Noster Interpres legit *ἐγώ*, id est qui: jam Graeca legunt *ἐγώ*, id est quod, *q. d.* Sum a principio, quod ipsum loquor et assero vobis. Tertio, Nonnus et Maldonatus haec verba trajiciendo sic interpretantur. Ego sum is, vel id, qui vel quod a principio vobis loquor, et jam pridem praedico, me scilicet esse Messiam, quem si velletis audire, jam pridem ex verbis et factis meis me illum ipsum esse cognoscere possetis. Sed hoc est trajectio insolita. Adde hunc sensum et hanc responsionem nihil habere exitum, sed esse humilem et retere. Quare secundus sensus sublimior, Christoque dignior ac verior est. Alio ergo sensu Christus seipsum, apud Paulus Christum vocat hic « principium. »

PRIMOGENITUS EX MORTUIS, — Id est primo resurgens ex mortuis ad vitam immortalem. Ubi nota primo: Resurrectio est et dicitur tam hic quam alibi regeneratio, quia periculis hominem mortuum vitam restituit, ac si rursum eum generaret. Ita Chrysostomus et Theodoretus. Secundo, licet aliqui ab Elia et Eliseo resuscitati resurrexerint ante Christum, tamen Christus dicitur primus resurgentium, quia resurrexit ad vitam immortalem nunquam amplius moriturus: illi vero resurrexerunt ad vitam mortalem rursum morituri, ut de facto rursum mortui sunt. Vide dicta *I Corinth.* xv, 20.

UT SIT IN OMNIBUS IPSE PRIMATUM TENENS, — *q. d.* Ut tam in rerum genere, quam in *ἐκκλησιᾷ* et regeneratione, id est, tam in prima rerum creatione quam in resurrectione Christus primas teneat (hoc enim significat Graecum *πρωτογενής*), quia sicuti Christus, qua Deus, est ante omnes et omnia, omniaque in Christo creata sunt et constant, ut dixit vers. 16; ita Christus, qua homo, est primogenitus ex mortuis, dux et princeps resurrectionis.

Secundo, haec aliter interpretatur Anselmus: Christus, inquit, primus est resurgentium, ut in omnibus Sanctis tam prioribus quam sequentibus teneat primatum dignitatis, potentiae et sanctitatis. Sed prior sensus uti magis est genuinus, ita magis est illustris et amplius.

19. QUIA IN IPso (CHRISTO) COMPLACUIT (PATRI) OMNEM PLENTUDINEM INHABITARE. — Ita legunt passim Latina, Graeca, Syra omnesque interpretes. Tollenda ergo est vox « divinitatis, » quam quidam hic addunt. Sensus est, *q. d.* Voluntas et

Quadruplex plenitudo in Christo.

beneplicium Dei Patris fuit, ut in Christo nihil inhabitaret omnis plenitudo, id est omnis perfectio tum sapientiae, tum gratiae, tum potestatis, tum denique ipsius divinitatis: inhabitaret, inquam, non tantum pro vim et operationem, sed etiam per seipsam suamque essentialiam. Ita Theophylactus et Anselmus.

Secundo, aliter Theodoretus: « Plenitudo, » inquit, est Ecclesia, qua Dei donis impletur, quaeque Christi quasi capitis sui corpus implet et perficit, ut dixit Ephes. 1, 23. Haec in Christo inhabitat, id est Christo conjuncta est, sub Christi tegmine et protectione quasi tabernaculo tegitur, Christique ductum ac leges sequitur, sicuti nota domo vel navi, omnes qui in ea habitant vel sunt, illius motui sequuntur.

Verum quia Apostolus non dicit plenitudinem simpliciter, quomodo vocavit Ecclesiam, Ephes. 1, 23, sed « omnem plenitudinem, » nec explicat plenitudinem hanc esse Ecclesiam, uti explicat ad Ephes. 1, hinc simpliciter et planius accipiendus plenitudo priore sensu jam dato. Haec enim est causa, cur Christus in omnibus primatum teneat, uti precessit.

20. ET PER EUM RECONCILIARE OMNIA IN IPSUM. — « Omnia, » id est omnes homines omnium temporum, nationum et locorum, qui in hac vita quasi violatores degunt. Perperam ergo hinc colligebat Origenes, fore aliquando, ut damnati homines et demones Deo reconciliarentur et salventur.

Nota: Pro « in ipsum, » graece est et: « in se, » quod Vatablus vertit, erga se: planius alii, et: « in se, » id est, inquit, in se, id est sibi, ut sit hebraismus: Hebraei enim pronomen absolutum sumunt pro reciproco. Ita Theophylactus.

PACIFICANS PER SANGUINEM CRUCIS EJUS, SIVE QUI IN TERRIS, SIVE QUI IN COELIS SUNT. — Latina syntaxis melius diceretur pacificando: nam pacificans latine non coheret congrue cum complacenti, cum quo tamen coherere debet et in Graeco cohaeret, q. d. Complacuit Deo Patri sibi omnes reconciliare pacificando per sanguinem, quem in cruce fudit Christus, tam ea quae in terris, quam ea quae in coelis sunt, id est, tam homines quam angelos, quod alia phrasi dixit Ephes. 1, 10, ita scribens: « Proposuit instaurare omnia in Christo quae in coelis et quae in terra sunt (1). »

Qua. 21.

21. ET VOS CUM ESSETIS ALIQUANDO ALIENATI, UT INIMICI SENSU IN OPERIBUS MALIS. — Pro « sensu, » graece est διανοία, id est mente et voluntate, id est per mentem et voluntatem: licet Ambrosius et

Hieronymus, in epist. ad Joan. Episcopum Hierosolymitanum, διανοία, in dativo vertant, menti sive cogitationi, consiliis et sensui; haec quoque referant non ad hominem peccantem, sed ad Deum, in quem peccatur: sic enim habet Ambrosius: « Et vos quondam alienatos et inimicos consiliorum ejus in operibus iniquis, » etc. Hieronymus vero sic: « Cum essetis alienati et inimici sensus ejus, » Verum melius et planius Noster, Syrus et Graeci vertunt in ablativo, mente, vel cogitatione ac sensu, q. d. Cum alienati essetis a Deo, non fato, ait Theophylactus, non necessitate, non sola originali labe; sed etiam propria voluntate et malitia averse a Deo et adversus Deum hostili essetis animo, quod testificabamini operibus malis exterius blasphemando, inebriando, fornicando, etc. Aliter Syrus: « ἐν τῷ λογισμῷ, id est in operibus, » vertit, propter opera — sic enim habet, « inimicis eratis mentibus vestris, » כְּלֵי עֵבְרִית כְּלֵי מַטְוֶל אַבְדָּאָחַן, id est « propter opera vestra mala. » Sed prior sensus planior et ordinator est.

22. NUNC AUTEM RECONCILIAVIT IN CORPore CARNIS EJUS PER MORTEM. — « Eius, » id est suae. Est hebraismus, de quo dixi vers. 20. Nota: τὸ ἐν corpore carnis ejus habet epitasim, q. d. Ne quis cum Simone dicat, Christum in corpore phantasticum esse passum; aut cum Basilide dicat, pro Christo passum esse Simonem Cyrenensem, dico et assero Christum « in corpore carnis suae, » id est in corpore suo carneo, id est vero et proprio, esse passum et mortuum pro nobis.

EXHIBERE (ut exhiberet) VOS SANCTOS ET IMMACULATOS, — ἀβλαβῆς, id est in quibus nec Momo ipse inveniat, quod carpat et reprehendat, ut dixi Ephes. 1, 4. Tertullianus saepius vertit: ἀνὸς-τυπεριβίλος.

ET IRREFREHENSIBILES (ἀνυπόκριτος, id est, ut Erasmus vertit, incriminabiles, sive inculpatores) CORAM IRSO, — scilicet Deo Patre. Vatablus et Syrus vertunt, in conspectu suo, ὡς ἰρατός. Hebraei enim idem habent pronomen reciprocum quod absolutum.

23. SI TAMEN PERMANETIS IN FIDE FUNDATI, ET STABILES ET IMMOBILES A SPE EVANGELII. — Exigit constantiam tam in fide quam in spe Christiana. Secundo, vocat « spem Evangelii » spem quam adfert et docet Christus per suum Evangelium: scilicet ut speremus per Christum bona non terrena, sed spiritualia et caelestia nos consecuturos. Posset etiam « spes » hic melonymice accipi pro bonis speratis, quae pollicetur Evangelium.

QUOD PREDICATUM EST IN UNIVERSA CARATURA QUE SUB COELO EST, — id est in omnibus gentibus quae sub coelo sunt: est synecdoche; nam genus, id est creatura, appropriatur nobilissimae speciei, puta homini. Magnificentius autem et ardentius est dicere, « in omni creatura, » quam inter omnes homines.

Subtilius ex S. Gregorio Anselmus: Omnis

Quomodo dicitur plenitudo in Christo.

creatura, inquit, dicitur homo, quia homo cum omni creatura in aliquo participat; nam cum lapidibus participat esse vel existere, cum arboribus participat vitam et vegetationem, cum animalibus sensum et motum, cum angelis rationem et intellectum. Sed prior sensus magis plenus et genuinus est. Sic enim Christus, Marc. xvi, 15, jubet predicari Evangelium omni creaturae, id est omni genti, quae sub coelo creata est.

Nota: Est hic hyperbole; necdum enim tempore Pauli omnibus omnino gentibus, puta Danis, Norwegis, Japonibus, Sinis, Moseovitis, Tartaris predicatum fuit Evangelium.

Omnibus ergo, hoc est plerisque, permultis, pene omnibus, vel omnibus non in specie, sed in genere; quia scilicet praedicatum est gentibus tam Orientalibus, quam Occidentalibus; tam Septentrionalibus, quam Meridionalibus: omnes enim gentes vel Orientales, vel Occidentales, vel Septentrionales, vel Meridionales sunt, quasi dicat Paulus: Evangelium non sola Judaea se conclusit, sed instar fulguris ab Oriente ad Occidentem, a Meridie ad Septentrionem plurimas gentes pervasit. Videte ergo, o Colossenses, ne fidem mutetis, quae a toto orbe jam recepta est, et consequenter non auscultetis Simoni et Novatoribus, qui aliam fidem, imo perfidiam inducunt.

24. QUI NUNC GAUDEO IN PASSIONIBUS PRO VOIS, — q. d. Adde certa est spes Evangelii, quam jam dixi, ut gaudeam pro eo, pro quo Evangelio inter vos divulgando (ut hujus spei participes vos faciam) quidvis pati.

ET ADIMPLEO EA QUAE DESUNT PASSIONUM CHRISTI, IN CARNE MEA, PRO CORPore EJUS, QUOD EST ECCLESIA. — « Et » hic causale est: tale enim est Hebraicum cau, valetque idem quod quia, q. d. Gaudeo in passionibus meis, quia iis adimpleo ea quae desunt passionibus Christi. Rursum Vatablus, passiones Christi interpretat passiones; quas propter Christum Paulus subibat, q. d. Multa jam passus sum propter Christum, multa adhuc mihi desunt et supersunt ferenda. Paratus sum autem reliquas eas afflictiones propter Christum pati in carne mea pro Ecclesia. Dicit autem « adimpleo, » ut notat Commentarius Hieronymo adscriptus, ut significet se paratum esse usque ad sanguinem et mortem hanc pati, sicut Christus ad mortem passus est, pro Evangelio.

Verum haec « passiones » non sunt passiones Christi, sed Pauli propter Christum; et si hoc voluisset Paulus, clare dixisset: Adimpleo ea quae desunt passionibus meis, quas patior propter Christum.

Proprie ergo « passiones Christi » vocat ea quae passus est Christus. Ita Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, Anselmus et alii passim, ac consequenter τὸ ἐν carne mea non referendum est ad « ea quae desunt, » sed ad

« adimpleo, » q. d. Patiendo in carne mea, adimpleo ea quae desunt passionibus, quas passus est Christus in carne sua.

Dices: Si desunt aliquid passioni Christi, ergo passio et redemptio Christi non fuit plena, sed imminuta et insufficientis.

Respondeo negando consequentem: Passio enim Christi in se fuit plena et sufficiens, illicque quoad valorem et pretii sufficientiam nihil defuit. Christus enim sua passione comparavit pretium sufficiens toti mundo redimendo, imo mille mundis redimendis; eidem tamen passioni aliquid defuit et deest in nobis, nimirum communicatio et participatio passionis ac meritum Christi; ut scilicet Christus non tantum in se, sed etiam in suis membris, id est Apostolis aliisque fidelibus, similia patiatur, haecque passione propagetur et perficiatur corpus ejus, quod est Ecclesia. Etenim enim suo decreto statuit Deus, ut Christus non tantum in se, sed etiam in suo corpore et membris, puta in Ecclesia et fidelibus, pateretur et passione eorumdem consummaretur ac perficeretur, tum nimirum fideles quosque patientes participes fiunt et similes Christi patientis et crucifixi.

Unde nota primo, cum Ambrosio, Chrysostomo, Theophylacto et aliis: Sicut mystice unum est corpus, una anima et vita, ita et una est passio Christi et Ecclesiae, sive Christi et Apostolorum, Martyrum omniumque fidelium, sicut eadem est passio capitis et corporis, sive capitis et membrorum. Christus enim est caput, membra sunt Apostoli aliique fideles. Unde Christus Paulo Ecclesiam persecuti non ait: Quid Ecclesiam, sed: Quid me persequeris? vide dicta I Corinth. cap. xii, vers. 27. Christus enim uti gratiam suam et patientiam, ita et passiones suas Apostolis aliisque fidelibus communicat; ac rursum sicut, uno membro patiente, patiuntur et compatiuntur cetera membra, et maxime caput; ita dum fideles patiuntur, Christus in iis patitur et compatitur.

Hinc secundo, pro « ea quae desunt, » graece est ἀτελείωτα. Quod mala fide et perperam Beza cum Commentario inscripto (sed falso) S. Ambrosio vertit, reliquias: proprie enim λέγειται Paulo et Graecis idem est quod defectus, inopia, penuria; proseribitur cum jungitur cum verbo ἀνεπαλήθερον, id est adimpleo, suppleo: nec enim quis supplet id quod reliquum est et abundantia, sed tantum id quod deest, ut patet II Corinth. vii, 14: « Vestra, inquit, abundantia illorum inopiam (graecae ἀτελείωτα) suppleat. » Et Philipp. ii, 30: « Ut impleat, inquit, id quod ex vobis deerat (graecae τὴ ἀτελείωτα) erga meum obsequium. » Et I Thessal. ii, 10: « Compleamus, ait, ea quae desunt (graecae ἀτελείωτα) fidei vestrae. » Unde Chrysostomus ἀτελείωτα vertit, ἀλλείωτα, id est ea quae desunt; et Syrus vertit, חסירותאחסירותא, id est defectum; ita et alii passim. Hoc etiam significat verbum « adimpleo, » et clarior Graecum ἀνεπαλήθερον, quod, inquit Erasmus, com-

Quomodo dicitur plenitudo in Christo.

Una est passio Christi et Martyrum omniumque fidelium.

Quid dicitur plenitudo in Christo.

positum est ex tribus, scilicet ex *tri*, quod significat vicem, cum quis alterius loco aliquid facit, *q. d.* Paulus : Ut vicem Christo pro me passo reddam, quod pro Christi Ecclesia patientium restat, ego adimplebo et patiar in carne mea. *Secundo*, componitur ex *tri*, quod apud Latinos valet *re*; et *tri*, id est impleo, *q. d.* Reimpleo, sive rursus, ut frequenter impleo vice Christi, quod in illius passionibus est diminutum et deficiens. Unde pro « adimpleo » Syrus, Vatablus, Erasmus vertunt, *suppleo*, *q. d.* Paulus : Christus quidem in se satis abunde passus est, ut nos redimeret nobisque compararet commune lytrum, quo a peccato redimamur, si illud nobis applicetur : verum ut hoc lytrum et hæc Christi passio hominibus præserim infidelibus applicetur, multa adhuc desunt : nimirum oportet nos Apostolos peregrinari per totum mundum, docere omnes Gentes, monere, hortari, arguere, ut eas convertamus ; ideoque multa nobis dura et acerbata patientia sunt, ut jam ego vincula hæc patior in carne, ut ea quæ desunt passionibus Christi in Gentium conversione procuranda, ego adimpleam, multaque patiar pro corpore Christi, quod est Ecclesia, ut nimirum inter Gentes Ecclesia propagetur, crescat et perficiatur, passionisque ac redemptionis Christi plane fiat participes. Quemadmodum, inquit Theophylactus, si duce exercitus abeunte, subimperator (id est ducis vicarius) pro phalange dimicans in illius loco constitutus vulnera ipsius recipiat; ita Christo in caelos abeunte, Apostoli in ære depugnantes pro eo vulnera recipiunt. Ita Chrysostomus quoque, Ambrosius, Theodoretus, Cæcumenius, Anselmus, D. Thomas et Augustinus in *Psal. lxxi*, et satis patet ex seq.; subdit enim Apostolus : « Cuius factus sum ego minister, etc., ut impleam verbum Dei. » Et vers. 27 : « Quibus, inquit, voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus in Gentibus. » Gentibus ergo per multos labores et passiones predicando verbum Dei, adimplebat ea quæ deerant passionibus Christi pro Ecclesia.

Eleganter hunc Pauli locum pertractat S. Augustinus in *Psal. lxxxvi* : « Ut adimpleam, inquit, quæ desunt pressurarum Christi in carne mea. Quid adimpleam? Quæ desunt. Cui desunt? Pressurarum Christi. Et ubi desunt? In carne mea. Nunquid aliquid pressurarum deerat in illo homine, quod factum est Verbum Dei, natum ex Maria Virgine? Passus enim est quicquid pati deberet : et videtur quod omnia; in cruce enim positus accepit acetum in ultimo, et ait : Perfectum est; et inclinato capite emisit spiritum. Quid est, Perfectum est? Jam de mensura passionum nihil deest, quia omnia quæ de me scripta sunt completa sunt. Ergo impletæ erant omnes passiones, sed in capite : restabant adhuc Christi passiones in corpore : vos autem estis corpus Christi et membra. In iis ergo membris cum esset

Apostolus, dixit : Adimpleo quæ desunt pressurarum Christi in carne mea. » Nam, ut idem ait in *Psal. lxxi*, sub initium, omnes passiones Christi et Christianorum ad unam communem Christi et Ecclesie pertinent republicam.

Ubi nota : Sicut multa desunt passionibus Christi, ut Gentes ad Christi fidem convertantur et passionis Christi fiant participes : quæ adimplet Apostoli, cum multa patiuntur in predicatione Evangelii pro Ecclesia Christi propaganda, quod primo et proprie hic intendit Apostolus; ita multa desunt passionibus Christi, ut fidelibus jam conversis plenius in dies et plenius passiones et satisfactiones illæ Christi applicentur. Sicut ergo quisque fidelis pro opera satisfactoria quæ subit, applicat sibi satisfactionem Christi, ut satisfaciat pro pena temporali peccatis suis debita : ita potest passionem et satisfactionem hanc suam Christi satisfactione mixtam et mixtam, cum ea amplius non indiget, utpote omni culpa et pena sibi jam condonata, aliis applicare; hoc enim requirit communio Sanctorum et bonorum operum, quæ est in Ecclesia. Et hoc sensu Paulus quoque adimplebat ea quæ deerant passionum Christi pro Ecclesia; quia passiones et satisfactiones sibi redundantes Paulus applicabat Ecclesie, ut per eas fidelibus, qui erant in Ecclesia, applicaretur satisfactio Christi, itaque satisfacere pro peccatis suis, id est pro pena temporali, quæ culpa condonata eis luenda restabat. Hinc *secundum* sensum innuit quoque hisce verbis Paulus, vel certe illud ipsum ex prioribus sensu genuino jam dato argumentatione a pari facile est deducere et concludere : nam tam passiones hæc secundæ quam primæ desunt passionibus Christi, et tam hæc secundæ quam primæ adimplentur per passiones et satisfactiones Apostolorum aliorumque Sanctorum, et tam per has secundas quam per primas applicantur nobis passiones Christi. Denique tam hæc secundæ quam primæ suscipiuntur pro Ecclesia Christi, imo magis secundæ quam primæ, nam secundæ pro fidelibus, primæ pro infidelibus convertendis suscipiuntur.

Hinc sequitur *tertio*, non mate Bellarminum, Salmeronem, Franciscum Suarez et alios Doctores Catholicos, cum tractant de indulgentiis (quidquid oclamat hic Beza), hæc generalia Apostoli verba extendere ad thesaurum Ecclesie, ex quo ipsa dare solet indulgentias : hunc enim thesaurum voluit Deus constare meritis et satisfactionibus non tantum Christi, sed et Apostolorum omniumque Christi Sanctorum, uti definitivè Clemens VI, Extravagante *Unigenitus*. Idque fecit Deus duabus de causis : *Prima*, ut hæc ratione Christum et Sanctos Christi honoraret, dum eos addiscit in consortium satisfactionis Christi, qua Christus pro aliis satisfacit : sicut rex honorat suos duces, dum eos provincie præficit et in regni gubernandi consortium admittit; et Deus

quoque qui est prima omnium causa, honorat suas creaturas, et causas secundas, dum eas in agendo socias sibi adjungit.

Secundo, ut esset perfecta communicatio bonorum inter membra Ecclesie, id est inter nos et Sanctos, sicut est inter cives ejusdem republice et inter fratres ejusdem familie. Sic enim Sancti proprie adimplet pro Ecclesia ea quæ desunt, scilicet huic thesauro jam dicto, et consequenter adimplent ea quæ desunt passionibus Christi; quia sine his passionibus Christi non complerent hunc thesaurum, prout a Deo institutus est, nimirum ut non tantum e Christi, sed et aliorum Sanctorum passionibus et satisfactionibus conflaretur.

Et faveat Græcum *ἀνταντιπῶς*, quod significat vicissim, vel contra ex altera parte impleo, *q. d.* Thesaurus hic una sui parte, scilicet Christi meriti; completus est; sed vicissim altera sui parte, scilicet meritis Sanctorum, incompletus quotidie impletur per passiones meas, puta Pauli aliorumque Sanctorum.

23. CUIUS (scilicet Ecclesie, græce enim est *ἡ* femininum) FACTUS SUM EGO MINISTER SECUNDUM DISPENSATIONEM DEI, QUÆ DATA EST MIHI IN VOS. — Pro « dispensationem, » græce est *ἐκχώρησις*, *q. d.* In domo Dei, quæ est Ecclesia, sum œconomus, ut dispensem toti familie, id est singulis fidelibus, bona et dona Dei Domini mei.

UT IMPLEAM VERBUM DEI. — Vatablus, ut impletum esse declarem sermonem, id est promissionem Dei de *vocatione Gentium*. Sic enim Hebræi sæpe verbum activum reale sumunt pro mentali aut verbali, juxta *Can. 36*.

Secundo, planius, « ut impleam, » id est plene prædicem verbum Dei et compleam prædicationem Evangelii, quam cepit Christus. Sic *Roman. cap. xv*, vers. 19, dicit Paulus se ab Jerusalem usque ad Illyricum replevisse (id est plene prædicasse) Evangelium Christi.

Nota hic dignitatem præconum et doctorum Evangelii, utpote quos Christus vocat in partem sui officii et ministerii, ut prædicationem Evangelii, quam ipse cepit, illi compleant, opusque redemptionis humane, ad quod Christus a Patre in mundum missus est, absolvant et perficiant.

25. MYSTERIUM. — Est appositum, ut patet Græco : verbum enim Dei vocat « mysterium quod absconditum fuit a sæculis, nunc autem manifestatum est sanctis, » scilicet Apostolis et Christianis.

27. QUIBUS VOLEIT DEUS NOTAS FACERE DIVITIAS GLORIÆ (id est divitem, locupletem et bonis spiritualibus abundantem gloriam) SACRAMENTI (mysterii, ut paulo ante dixit) HUIUS IN GENTIBUS (hujus enim mysterii verbi Dei.) Evangelii magis participes factæ sunt Gentes, quam Judæi, quod (scilicet sacramentum vel mysterium) EST CHRISTUS (objective scilicet, *q. d.* Quod circa Christum versatur, cujus objectum est Christus; totum enim mysterium Evangelii est de Christo et redemptione Christi, qui) IN VOBIS EST SPES GLORIÆ. — Rursus Christus hic dicitur « spes gloriæ » objective, *q. d.* Christus est id vel is per quem futuram gloriam vitæ æternæ speratis et expectatis. Ita Ambrosius, Anselmus, Theodoretus.

Alii sic exponunt : Christus est spes gloriæ, id est spes gloriosa, quia videlicet per Christum magnifica et gloriosa bona speratis vos adepturos.

28. QUÆM NOS ANNUNTIAMUS CORRIPIENTES OMNEM HOMINEM. — Græcum *κατατινάζω*, tam admoventes quam increpantes, vel corripientes et castigantes significat. Ita Theophylactus.

29. IN QUO (ad quod) ET LABORO CERTANDO. — Græce *ἀγωνίζομαι*, id est decertans quasi in agone, multa vigilantia, fortitudine, contentione, difficultate et periculo, tanquam athleta Christi. Ita Theophylactus.

SECUNDUM OPERATIONEM (Græco, *ἐπιτελέω* id est vim et efficaciam) EJUS, QUAM OPERATUR IN ME (Christus) IN VIRTUTE, — id est potenter, valide et efficaciter; hoc enim est Hebræum *כח* *baacoch*, *q. d.* Decerto in hoc agone Evangelii strenue et viriliter, non humanis viribus confusus, sed vi et efficacia spiritus Christi, qui in me potentissime operatur, patrando scilicet miracula tot et tanta; dando tantam efficaciam verbis meis, ut omnium corda penetret et convertant; suggerendo animos, vires ac zelum, ut ignea charitate et ignea lingua prædicem, omnibusque ignem hunc vini amoris afflem et aspirem.